

cialiter conventum inter dictas partes, dictis nominibus: quod de debitis, ad quae subditi unius partis tenebantur subditis alterius partis tempore inchoactionis praesentis guerra, fiat iustitia, per inde ac si praesens guerra non occurrisset. Item, quod Veneti cum aliqua galea, vel galeis armatis, intrare non possint aliquem portum de cathena dicti domini Regis, seu subditorum suorum, contra voluntatem habitantium seu tenentium dictum portum. Item fuit actum et specialiter conventum inter dictas partes, dictis nominibus: quod dicto Domino Regi restituantur omnes terrae, loca et castra, quae per commune Venetiarum tenentur, quae dicto domino Regi ablata fuissent per Venetos tempore praesentis guerra, et specialiter civitas et castrum Cathari. etc.

Ex libro Pactorum Reipublicae Venetiarum, in c. r. aulico Archivio Viennae asservato. T. VI.

CVIII.

Anno 1383. 5. Novembris. Jadrae.

**Elisabetha, Hungariae Regina, jura, statuta ac libertates
Sibenicensium confirmat.**

Elisabeth Dei gracia Regina Hungarie, Polonie, Dalmatie etc. Significamus tenore presentium quibus expedit vniuersis, quod fideles nostri Communitas ciuitatis nostre Sibenicensis, missis ad nostre Serenitatis conspectum eorundem sufficientibus Ambassiatoribus et nuncijs, nobis graui cum querela detexerunt, quod nonnulli homines Dalmatini, Sibenicensis et alij, suggesta falsitate et rei veritatem celantes, tales nostras litteras sepissime a nostra impetrarent Maiestate, quarum tenores contra eorundem fidelium nostrorum Sibenicensium statuta, iurisdictiones et reformationes protenderent seu extenderent, eisdem et eorum iuribus maxime preiudicando; supplicantes nostro reginali culmini humili pietate et deuota, vt ipsis de remedio providere dignaremur in hac parte oportuno. Nos itaque, qui iuxta nostri reginalis officij debitum singulos nostros regnicolas in eorum iuribus illesos et indempnes tenemur conseruare, pensata eciam ipsorum fidelium nostrorum Sibenicensium fidelitatis constancia et fide eorum inuarabili, quam ad nos et sacrum nostrum dyadema constanter noscuntur habuisse, ac ipsorum grata obsequia, quibus nostre Serenitati se studuerunt indesinenter complacere, serie eisdem pollicemur, ipsos in eorum iuribus, libertatibus, legibus honestis et iuri consonis et racionalibus, inuiolabiliter et inconuulse conseruare, nec alicui hominum vel personarum in detrimentum seu preiudicium libertatum, iurisdictionum et statutorum ipsorum laudabilium et approbatorum nostras litteras dabimus vel dari faciemus; ymo si ex errore obliuionis alicui Dalmatino vel Sibenicensi, aut alteri cuiquam contra eorundem statuta, iurisdictiones et reformationes prescriptas,